

Ophthalmoxysis nov-antiqua Woolhusiano-Hippocratica, nobilissima operatio ocularia e textu graeco eruta et bis mille annos neglecta nunc demum penitus emergens ... cum eorundem professionem publicam / ... susciperet ... praeses Burchardus David Mauchart ... respondente Johanne Georgio Gmelin.

Contributors

Gmelin, Johann Georg, 1709-1755.
Mauchart, Burchard David, 1696-1751.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Hiobi Franckii, [1726]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ttsrhsch>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

ΟΦΘΑΛΜΟΕΥΣΙΣ

OV-ANTIQUA, s. VVOOLHUSIANO-HIP-
POCRATICA,

NOBILISSIMA

OPERATIO OCULARIA

EX TEXTU GRÆCO ERUTA ET BIS MILLE
ANNOS NEGLECTA NUNC DEMUM PENITUS
EMERGENS,

AD

USPICANDOS LABORES ANATOMICOS
ET CHIRURGICOS ORDINARIOS,

CUM EORUNDEM

PROFESSIONEM PUBLICAM
JUXTA LEGES ET MOREM ACADEMIÆ
SUSCIPERET,

d. *Julii MDCCXXVI.*

PRÆSES

BURCARDUS DAVID
MAUCHART,

Med. & Chir. Lt. Med. P. P. & Auliatr.
Wirtemb.

RESPONDENTE

JOHANNES GEORGIO GMELIN, Tubing.
Med. Stud.

TUBINGÆ, Literis HIOBI FRANCKII.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30775917>

P R Æ F A T I O.

Miraculo pene similis res est, quod per tot secula suam adhuc tueatur auctoritatem Magnus Hippocrates noster! Hanc vero mirari, quin rimari mirum non est cum, qui vel Philosophiæ & Medicinæ in prima ætate sua maximam imperfectionem, vel earundem opimum nostris temporibus augmentum, imo & quot capita, tot sensus, novaturientium maxime nostrorum hominum attento perspexerit animo. Authoritatis quidem idolum, quod plus justo venerata est antiquitas & præjudiciorum nebulas eliminare ac displodere magis magisque nostrum rectissime annititur ævum; sed, pessimo simul consilio veterum Medicorum subinde deserit exemplum, qui morborum historias & inprimis signa curatius tradiderunt, ut hinc Cel. Stahlius ex illorum lectione se plus profecisse fateatur, quam neotericorum, & Cel. Lentilius a) malit scriptorum aliorum totas triremes perire, quam unius Hippocratis libros, atque Doctiss. ille Veronensis Medicus Joh. Ant. Turcus sæpius dicere consueverit: se immensa novatorum commentaria præ una Hippocratis & Galeni pagina facile contemnere b.) Ita sane Hippocratem non modo

Semper honos nomenque suum laudesque manebunt, sed attenta quoque Ipsius operum lectio plures adhuc usus salutari nostræ arti affundet egregios; Presso namque suo
A 2 stylo

a) Tab. Consultator. p. 40.

b) Freher Theatr. Viror. erud. claror. p. 1302.

stylo aureas sæpe suppressit & abscondidit cautelas, curationes, operationes.

Quis eruditorum nescit hodie, Hippocratem in libello quem inscripsit *πεὶ ὀψι*, mentionem facere alicujus *τῶν βλεφάρων ὀφθαλμῶν*, i. e. rationis palpebrarum oculi. Sed, præter unum Dom. *Joh. Thom. de Woolhuse* nemo istius paragraphi sensum affecutus est, c.) cujus igitur viri natales & studia non ob hoc solum, sed plurima alia in rem ophthalmiatricam merita, tribus indicare non alienum videbitur. Is Prosapia nobilis Anglolondinensis, in Collegio Westmonasteriensi sub invocatione St. Petri Regius a pueritia Alumnus inde in Collegio Sacrosanctæ Trinitatis apud Cantabrigiense Graduat, hinc Oxonii in Collegio St. Mariæ Magdalena socius regens, Jacobi II. Britannorum quondam Regis Ophthalmiater, in Gallias patria exul trajecit, & Parisiis interea maxime Medicinam exercuit oculariam magna cum nominis celebritate, jamjam Christianiss. Regis Bibliothecarius subalternus, Illustr. Societatis Regiæ Londinens. & Berolinens. Collega, nec non per plures annos in Prochotrophio Tercentum cæcorum Parisino, vulgo dicto l' Hopital royal des quinze-vingt, Inspector, hæreditariam quasi per quatuor generationes eruditionem oculariam insigni locupletavit accessione, per sedulam auctorum, veterum imprimis Græcorum, lectionem, per itinera in Italia, Galliis & Patria, & per amplissimam praxin d.)

Prochotrophium hocce, quod tot oculorum morbis affectos alit, optima ophthalmiatricorum, quæ sui similem nullibi habet, est Palæstra, ubi modo laud. Woolhusius tot affectuum oculi species, quas supra ducentas quadraginta numerat, clare demonstrat suis affectis, convocando menstruatim istos
agro-

e) Eph. Nat. Cur. ad Cent. V. & VI. append. p. 134.

d) plura de Woolhusii doctrina & vita ad invidiam & ostentationem esse scripta putant aliqui in præfat. & passim, des Dissert. Scavantes & critiq. de Mr. de Woolhuse par Mr. le D. Cers. à Ffort. 8.


ægrotos, ut examini se quivis sistat. Egregio hoc instituto non tantum, sed novimestri insuper collegio ophthalmiatrico apud Cel. Woolhusium & creberrima post ea per biennium conversatione Parisiis frui & aliquot, sub Ejusdem auspiciis, nobiliores oculis feliciter administrare operationes mihi licuit in subjectis vivis. Neque obstitit, quin stimulum potius addidit faventissimo Woolhusio, quod Celeb. *Heisteri*, t. t. Prof. Altorf. doctrina, patrocinio atque hospitio egregie olim adjutus, fidelissimi hujus Præceptoris memoriam, licet sine factione, perpetuo colerem, novamque cum Celeb. *Anellio*, Ophthalmiatro Parisino, inirem amicitiam; Inter quos, quam magna cum animorum contentione bellum literarium hucusque gestum est, tam singulari quisque celeberrimæ hujus Trigæ me prosecutus est favore.

Inter dictata collegii istius Woolhusiana, quæ magnum complerent volumen & quæ præter tot morborum species, quadraginta insuper docent operationes in oculo instituendas, vix duas absolvit paginas eximia operatio, de qua hic agemus, eo quod ipsam oretenus saltem tradendam voluerit, nec literis mandari permiserit unquam. Hanc autem diutius eruditorum desiderio, & quod potius est, ampliori ægrotorum commodo subtrahere nefas duxi. Hinc, pace Cel. Woolhusii, ipsam hic plenius descriptam meisque scholiis & experimentis auctam candide aperiam, faxit DEUS feliciter!

CAP. I.

Historia operationis & instrumenti.

§. I.

 Phthalmiatriam veteribus non adeo incultam fuisse ex Hippocrate passim, Galeno, Aëtio, Celso &c. abunde constat, utpote qui insignium eo tempore Ophthalmiattrorum, Demosthenis, Justi, Severi, Jesu Haly &c. non modo, sed plurimarum quoque operationum, oculis adhibitam disertam faciunt mentionem. Aliqua in hanc rem exhibet specimen

cimina notissimus ille Hippocratis, *ὡς ὅψιος libellus*, neglecta & præter-
visa quidem hætenus à plerisque, vel quod tanti non facerent isthunc li-
bellum, sicuti commendatissimus aliàs Hippocratis commentator *Prosper*
Martianus illum in suo indice libror. Hipp. & toto commentario plane
omisit, e.) vel inter spurios insuper numerarent, ut in eo commentando
laborem collocare noluerit *Hier. Mercurialis* f.) Hanc litem jam non facio
mean. Sicuti enim scripta Hippocratis edita putat Martianus non ab uno
illo Co, sed aliis ejusdem nominis, nec multum interesse censet, modo
veram doctrinam & Hippocraticis dogmatibus consentientem contineant;
ita & de hoc controverso Hippocratis fœtu tandem decidere liceret, qui
sane, licet undiquaque perfectus non sit, gravitati tamen Hippocratis
& doctrinæ nihil derogare videtur. Textus græcus ita se habet:

§. 2. Ὅταν δὲ ξύης βλέφαρα ὀφθαλμοῦ, ξύειν ἐρίῳ μιλησίῳ ἔλω κα-
θαρεύειν αἰσάκτον περιελών αὐτήν, τὴν σεφάνην τῷ ὀφθαλμῷ φυλασσόμε-
νῃ, μὴ διακάυσης πρὸς τὸν χόνδρον: σημεῖον δὲ ὅταν ἀπόχρη τῆς ξύσι-
ς, ἔκ ἐτι λαμπρὸν αἷμα ἐξέρχεται, ἀλλὰ ἰχώρ αἱμαλώδης ἢ ὑδαλώδης. Foë-
sii versio, à Lindenii parum abludens, hæc est: Cum autem oculi palpe-
bras radis, lana, milesia, crispa, pura, circa fulum convoluta radito, ea
cautione adhibita, ut oculi coronam evites, & ne ad cartilaginem peru-
ras. Satis derafam esse palpebram indicio est, si non amplius sincerus san-
guis, sed sanies cruenta & aquosa effluat. g) Hujus paragraphi genuinum
sensus à nullo usquam Hippocratis interprete perceptum expositumve hæ-
tenus fuisse asserit Cel. VVoolhusius, in eo omnes deceptos ratus, quod
αἰσάκτον reddiderint per fusum, quod nunc dierum obsoletum, in-
fultum & absurdum omnino sit; tempore vero Hippocratis nihil clarius
& emendatius dictum fuisse; cum illo tempore atractylis, (cardui aculea-
ti species) pro fuso agresti fuerit, quia vero fusus hodie longe alius sit,
oportuisse, loco fusi, carduum atractylem dicere, qui instrumentum vere
idoneum ad incidendum & scarificandum constituat, istiusque lanæ mile-
siæ usum non fuisse solum ut obstaret, quo minus cardui spicula justo
profundius oculum subintrent, sed ne digitos quoque chirurgi intimius
pungant. h.)

e) In magno Hippocrate Co explicato, fol, venet. 1652.

f) In Censur. Oper. Hippocrat. 8. Basil. 1584. quod absurda non pauca & ab Hippo-
cratica gravitate atque doctrina longe aliena habeat.

g) Versio Foësii, 8. Francof. 1596. nro. 42.

h) E. N. C. ad Cent. V. & VI. append, p. 134. anno 1717. ubi Woolhusius indicat
inseruit quadraginta circiter operat. chirurg. quas oculis administrat.

§. 3. Ἀτρακτῶ, ὅ, itaque inprimis quid hic significet dispiciendum erit. Galenus in Lexico vocab. Hippocraticorum interpretatur: Οὐ μόνον τὸν εἰς τὸ ἱερουργεῖν χρήσιμον, ἀλλὰ καὶ τὸ ξύλον τῆ βέλους, i. e. non solum utensile ad sacrificium, sed & lignum hastæ. Quod sane rem implicat magis quam explicat, nisi sphalma subsit, ut loco τῆ ἱερουργεῖν, exprimi debuisset χειρουργικόν. Eurip. pro sagitta, Pollux pro parte mali supra antennam utitur: Aristoteles, Plutarchus, Suida pro Fusō sumunt, Plinius pro Colu; i.) Nam Ἀτρακτῶ, inquit, cnici sylvestris mitior species est, caule tamen rigido, itaque & colu antiquæ mulieres utebantur ex illis, quare quidam atractylida vocant. Ἀτρακτυῶς, ἰδῶ, ἡ, spina est, asserente Dioscoride, k) cnico similis, ob idque a Galeno Vl. Simpl. κνίκῶ ἄγριῶ dicitur & a Plinio Cnicus silvestris & quod sanguineum succum fundat, phonos; Folia fert quam cnicus multo longiora, in summis virgis, maxima parte nuda est & aspera ὥ καὶ αἱ γυναῖκες χρῶνται ἀντὶ ἀτρακτῶς, i. e. interprete Ruellio, quæ eminae pro fusis utuntur; Capitula in cacumine spinis horrent; flos luteus, tenuis. Spina hæc variis synonymis innotescit, Carduus vulgaris Matthioli, vulgatissimus viarum Lobelii, Carthamus silvestris Trautem., Carlina silvestris Dodonæi, vulgaris Clusii, Cnicus spinosior C. Bauh. atractylis media Gesn. Heracantha Tab. & Idemque Colus rustica Cord.Æ. Inetæ Atractylis rustica, vel Cnicus silvestris è spinarum existit genere. Hujusque cardui spinosa & aculeata capitula, lana milefia, quæ optima fuit in Æonia ex urbe Mileto, circumvoluta, adhiberi vult Hippocrates ad radendas palpebras, cui instrumento vegetabili nomen ἀτρακτῶ impositum, vel ob figuræ similitudinem cum colu, tunc usitata, & cui canibus pexa solebat circumvolvi, vel ob materiæ, è qua colus & instrumentum hoc constabant, identitatem. Confundunt hic auctores latina quoque vocabula colus & fusi, quæ tamen sunt res distinctissimæ, ut patet à veteri fabula & effigie de Parcis satis superque claret. Colus hominum est bacilli instar longioris, immobilis, cui pexa cannabis circumdata & firmiter alligata est, ut digitis nendo deduci & in filum torqueri possit, quod dein fuso circumvolvitur, donec in justum creverit glomerem. Colus german. die Runcfel, Gallis la Quenouille, fusus autem sive fustum dicitur die Spindel, fuseau. Istam ergo atractylida veteribus potius pro Colu, quàm fuso inservisse crediderim, ἄλος significet hic crispam, s. pretiosam, s. sanam & mitem lanam, juxta

juxta homonymias Homeri, parum interest. *Ξύειν* est infinitivus pro imperativo, dialecto jonica, à *ξύω*, rado, lacero, scalpo, attero, polio, depecto.

§. 4. In hac operatione & deraſu jubet Hipp. vitare coronam, τὴν σφαίρην, oculi circulum illum corneæ externum, ubi veteres non incongrue dixerunt omnes oculi tunicas concurrere & coire, qui ideo locus ceteris partibus oculi externis & sensu gaudet exquisitiore & vasculis sanguineis est refertior, ut hinc ulcuscula, furunculi ibidem occurrentes & omnes læsiones sint peioris commatis. Cartilaginem s. tarsum pariter nimis profunde lacerati & radi vetat Hipp. μὴ διακαῦσθαι inquiens τὸν χόνδρον, non peruras, quod metaphorico sensu accipiendum erit quatenus nimia isthæc laceratio exquisitum, quasi ustionis sensum inferat vel ad alteram operationis partem & appendicem spectat, quatenus Hipp. jubet, si opus sit, post abrasionem adhiberi etiam ferramenta minime s. leviter candentia, quibus palpebræ intus debeant inuri, maxime in casu durioris occallescentiæ. Minime tamen hinc consequitur, Hippocratem in hac rasiōe & attritione palpebrarum usum fuisse telo ferreo vel instrumento candenti & ignito, cum vel sola lanæ circumvolutio repugnet quæ hinc incensa palpebris & oculo periculosam intulisset inflammationem.

§. 5. Inter paucissimos tum veteres tum recentiores, qui vel mentionem fecerint hujus operationis, eminet *Paul. Aegineta* l) his verbis: si cilius in palpebrarum trachomate s. scabritie durior his (pharmaceuticis nepe) non vincatur præfidiis, genam inversam pumice, l. testa sepiæ, foliis ficulneis, aut instrumento, quod à palpebrarum rasura *Blepharoxylon* vocant, abradimus. *Rhases*, m) palpebram proponit exasperandam esse & exulcerandam instrumento, quod dicitur rosa, ex frondis scæ nimirum circulatæ similitudine; nam habet caput, inquit, quale narius & hoc deraditur, usque quo submoveatur asperitudo. Hoc v. instrumentum putat *Marc. Aurel. Severinus*, n) esse illud, quod ad ungulæ oculi deraſum vulgati apud chirurgos usus fuisse scribit *Arnald. Villanus*, calvum ab eo vocatum, & abs Severino l. c. rudi quidem & obscurâ delineatione exhibitum, de quo ait: Fortassis instrumentum est, quo veteres ad deradendas palpebras usi sunt βλεφαροξίστρας nominato: cujus meminit *Thom. Minadous* L. 3. de affect. ext. c. 16. quod est de trachomate.

l) Medicin. totius Enchirid. 8. Basil. 1546. L. 3. Cap. de Trachom. p. 173.

m) Tract. 1. Divis. c. 22.

n) Libr. de efficaci Medicin. P. 2. C. 107 p. 114.

Woolhusius in Mss. asserit, in vetustis codicibus Hippocratis atque Ægine-
hujus instrumenti adumbrationem reperiri, unde forsitan mutuatus sit
verinus. Sed idem vel adeo male perspexit hujus blepharoxystri stru-
cturam, vel certe verbis & typo tam obscure expressit, ut quale sit, hinc
divinare liceat. Suspicio ego, ejusdem caput circulatum esse & de-
cuius magnitudine, figuræ concavæ, cujus altera superficies lævis & gla-
ciosa sit, & hinc instrumentum vocetur calvum, altera vero, concava scil.
multis spinisque aspera cardui cujusdam, in circulum artificiose disposi-
tæ cui affixum est manubrium, vel ut commodius teneatur, vel ut Hippo-
cratis fufum, ab Interpretibus sic dictum, melius exprimat.

Reliqui, quos novi, auctores pari laborant obscuritate: *Al. Bene-
dictus, Joh. Gorraus*, o) *Steph. Blancardus*; p) qui Blepharoxyston de-
scribunt, quod sit instrumentum chirurgicum radendis, vellendis concin-
dendisque palpebris aptum, à nonnullis xystum adpellatum, ἀπὸ τοῦ ξύ-
του ἢ ξυγᾶν, quod est radere, tondere. Unus ille supra laud. *Woolhu-
sius* quædam commentatus est in hunc textum Hipp. quæ operæ pretium
sunt. Cum tamen in E. N. C. & passim in catalogo suarum operatio-
num & instrumentorum, it. in supra memoratis dissertationibus criticis
non in suo ipsius MSS. ænigma hoc ophthalmicum penitus solvere no-
verit hætenus, non potuit non grata esse publico literario, quæ Duis-
burgi ad Rhen. 1721. prodiit disputatio medico-chirurgica, de scarifica-
tione oculari Hippocratica, ejusque in plurimis oculorum affectibus insi-
gni utilitate, ab *Joh. Henr. Hampe*, Siegena-nassovico, pro licentia, quæ
hujus mysterii revelationem promittebat. Nescio autem, qua de causa,
L. D. Hampe plures quidem Auctores allegaverit, textum græcum resol-
verit, partes oculi anatomice descripserit, & morbos, qui hanc expe-
ctantur operationem, plerosque explicuerit, justæ tamen lectorum ex-
pectationi in Xystri ophthalmici compositione & ulu, operationis item
multiplici subjecto & modo debite indicandis & describendis minime
satisfecerit. q.)

§. 6. Instrumentum itaque huic palpebrarum rasioni dicatum in-
genia eruditorum & artificum hucusque non minus exercuit, ex quo
B textus

o) Definit. med.

p) Lex. med. sub tit. blepharoxyston.

q) id. reprehendit in *Hampio Celeberr. Heisterus* in *Chirurg. German. nov & lo-
cuplet. 1724. Norimb. in 4to edit. p. 399. cap. de scarificatione*, ubi refert, quod
hujus arcani revelatio ipsum magno constiterit pretio, se vero malle ipsam *Wool-
husii* descriptionem expectare, quam suâ, forte non ad *Woolhusii* mentem fa-
cta, novam hujus incurrere reprehensionem.

textus Græci analysin suppeditavit atque regno vegetabili illud debere subinnuit nunquam sine laude nominandus Woolhufius. Plures hinc enatae sunt blepharoxysti species, breviter indicandæ. *Primum* sit, quod Woolhufius blepharoxyston vocat κατ' ἐξοχῆν, speciemque refert exigua cochlearis è chalybe, cujus superficies convexa pluribus circumquaque eminentiis exilibus, instar limæ, exasperata est, concava vero lævis. *Alterum* bivalve quasi est, argenteum ferreumve & è duabus laminis planis antè rotundis, pollicem vere latis, postèus arctioribus & in manubrium coalitis constat, cujus inferior lamina seu valva immobilis aliquot phalangis exilium è chalybe acuum, firmissime insertum horret, easque per foramina oblonga valvæ superioris elasticæ transmittit, si hæc comprimatur. *Tertium* vocaveris lanceolam versatilem, duabus tenuibus atque exilibus valvis absconditam, quod palpebris subditum, in gyrum moto longiori stylo, cui superius conferruminata est lanceola, hanc foras vertit & palpebras incidit. Usus hujus periculum non caret. Parisiis certe de infausta ejusdem applicatione aliqua audivi exempla. Agmen claudit ineptissimum illud, quod tres cuspides chalybeas intra se invicem incurvatas habet, quibus sane divelli potius & delaniari oportebit oculi partes, quam incidi saltim & scarificari. Sed & duo priora non majori videntur encomio digna. Quamvis enim cunctis occurrant adeo callosarum & induratarum partium e. g. in trachomatè, ut duro nodo durus merito quærat cuneus, multiplici tamen ex ratione videntur tunc præstituræ incisiones seu scarificationes lanceola ordinaria factæ, quæ viam pandant subtiliori nostro Xystro, dehinc applicando.

Felicius rem acu tetigerunt, vel instrumentum è schola Woolhufii petierunt *Ill. Medici Berolineses* r) verba hæc sunt: Instrumentum, quod peragitur oculorum scarificatio, ex vili aliquo vegetabili præparatur, mediantebus cujus præminentibus tenerrimis denticulis, minuta inflata valè stringendo, lacerantur. Idem sagaci conjectura affecutus est Celest. D.D. *El. Camerarius* noster, vir supra meas laudes positus, s) suspicari constare illud ex aristis scite colligatis, pungentibus, asperis & subtiliter scindentibus, inprimis spicarum hordei atque fecalis. Jam itaque cunctis plenariæ mysterii propalationi proximus sis, ben. Lector, noli quæso inventi pretium è materiei vilitate, unde componitur instrumentum, mereri, sed ex incomparabili, quem mox adjungam, usu. Quantum verum cal

r) Act. Med. Berol. Vol. IV. C. 6. p. 107. an. 1719.

s) Disp. cui titulus. Miscellaneæ theses Medico-Chirurgicæ, 1724, thes. VI. p. 20. 2

sui & ingenio debeat inventio nostrorum in medicina præsidiorum, hujus instrumenti natales denuo testantur. Læsus quidam graviter oculo per acutam aristæ cuspidem in manus incidit ingeniosiss. Woolhusius, narrante hoc mihi eodem, huicque ansam præbuit de remedio & instrumento cogitandi, quod inflammationem tunicarum, quam effecit, tolleret iterum, disruptis vasculis sanguine turgidis, juxta illud Ovid: t.)

Sic mihi res eadem vulnus opemque feret!

CAP. II.

Instrumenti Woolhusiani denominatio, materia, forma, prærogativa.

§. 7.

Xystro l. *Xystrum* optime vocatur ab effectu & usu rationis s. lacerationis, quam præstat, (: licet à veteribus quoque id nomen medicamento siccanti & leniter cathæretico fuerit impositum, u) item scalpro forio, x) cum epitheto *ophthalmicum*; quod nomen generale ideo præferendum videtur determinatæ magis blepharoxysti s. palpebrarum foris, appellationi, quoniam nostro non palpebræ tantum subjiciuntur xystro, sed aliæ insuper oculi partes, & aliâs etiam blepharoxystis ultum differt à nostra ophthalmoxysi. (vid. C. 3.) Materiam ipsi supeditat spica secalis, hujusque non tam arista, quam gluma. Spica vero Botanicis est conus erectus, sive oblongus, sive admodum acutus è floribus l. seminibus spisse compositus: Arista dicitur, acus exilis & longa, e gluma extans; Gluma vocatur, folliculus grani in frumentis. y.)

Secale appello plantam graminifoliam, flore stamineo, culmiferam grano majori, ad panificia utilem, quæ culmo s. caule est elatiore, spica paulo compressiore, quasi quadrangulari, perpetuo aristata, grano rigosiore tenuiore & nigriore, glumis non undique recto, sed magna ex parte nudo, farina nigriore, humidior, nobis Roggen, Gallis duigle dictum.

B 2

Glumæ

t) Ovid. Trist. L. 2. Eleg. l. v. 20.

u) Paul. Æginet. l. c. L. VII. p. 696.

x) Joh. Scultet. Armament. Chir. Tab. VI. p. 11.

y) Joh. Raji. meth. plant. Lond. 1703. p. 197. sqq.

Glumæ hæ fecalis sub examen vocatæ observantur adscendere per spicam è duplici latere binæ, quarum sequævis exhibet bifidam & hiantem ut granum maturum, quod continet solitarium, hinc magna parte nudum prospiciat. Glumæ hujus bifidæ interna dimidia pars s. segmentum, quod respicit proximum alterius glumæ oppositæ granum, mollior, tenuior est atque multo brevior, externa vero pars rigidior, in dorso minimis quasi denticulis acutis, albidis, sursum spectantibus horrentinque aristam coit cum reliquis suis lateribus, quam minimæ spinulæ asperam undique reddunt. Hanc ego fecalis glumam exteriorem, denticulatam neque hic botanicis pro nota characteristica, qua secale differat à congeneribus, hordeo, panico &c. obtrudo, neque pro objecto physiologiæ botanicæ, cui scil. usui horrentes isti setvant denticuli, quem tamen haut unum suspicor? Sufficit hoc loco, istas glumas exteriores & aristatas partes, à spica placide avullas l. abscissas, numero 10. l. 12 quin plures, ita colligandas esse, ut aristæ omnes prope glumam filineo, l. sericò fortiori, cerato constringantur, filumque pluries circumducatur firmiter, ut petiolus quasi & manubrium efformetur dimidii fere pollicis, lati, longitudine, quo instrumentum possit teneri ab operatore, sicque sub aliquali minimarum scoparum similitudine Xystrum constituere Ophthalmicum.

Glumæ vero ita in circulo sunt collocandæ & dirigendæ, ut earum dorso seu anguli maxime denticulati atque scindentes undique spectent extrorsum aciemque suam parti affectæ inter operandum infingerent. Adornatis sic glumis atque aristis filo connexis, aliqua portio glumarum superius refecatur, ut omnes æqualiter emineant; sic pariter, quod ultra fili convolutiones in cauda & fine petioli aristati protenditur, forfice refecatur.

§. 8. Spicæ hæ pariter ac ipsa hinc composita xystra loco temperato asserventur & unius ad summum anni ætatem contrahant. Aliæ enim vel nimis exsiccantur, sicque sub operatione franguntur, aculeosque tunicis oculi altius infixos relinquunt; vel nimia humiditate mollescunt, sicque debita spiculorum rigiditas & tonus fatiscunt. Cuilibet operationi novum plerumque admovetur Xystrum, quod nondum infervit, quoniam ipsius spicula inter operandum obtusa atque detrita non amplius scindere valent, nisi ubi molle & detritum expetatur expresse (v. §. seq. 9. ad calcem.)

Aristæ solæ resectis glumis, in xystri formam colligatæ tam acriter non scindunt, & ruptioni aliisque incommodis magis sunt obnoxia

xiæ ; hinc neque hordeum neque congeneres herbæ frumentacæ huic negotio aptæ sunt.

Omnium huc minime quadrat *inermis avena*, quam tamen recentiss. de morbis & operationibus oculariis Scriptor Parisinus, Dn. de St. Yves 2) in scenam producit his verbis : Les uns la font (scil. la saignée de l'œil) avec un assemblage de plusieurs barbes d'epis d'avoine en forme de brosse, dont on scarifie la conjonctive, en la passant rudement sur cette membrane. Mirum sane lectoribus videbitur, qui hunc Woolhusii æmulum & Parisiis non degentem modo, sed olim quoque ejusdem in deligationibus oculariis subinde ministrum adeo latere potuerit hæc operatio, ut ipsam confunderet cum venæsectione oculari & avenæ acutas vel scindentes affingeret aristas, quam tamen totam quantam inermem & nulla sui parte huic negotio aptam natam mox judicabit, qui semel illam inspexerit vel obiter ? Hanc, aliasque plures anatomicas atque chirurgicas animadversiones proferendi in hunc Dn. de St. Yves librum, ob multas nihilominus encheïreses & observationes utilissimas sua laude non privandum, dudum occasionem præbuissem Woolhusianæ cribrationes, sub meo nomine, ne autem infcio, nunc & invito, prelo mercurioque eruditorum parisiensi ommissæ, nisi tempus concatenatis meis & magis necessariis utilioribusque distractionibus impendere practicis, cætera vero non tam disputationis ferram reciprocare, quàm christianam Ovidii laudem sectari mavissem :

Non ego mordaci distinxî carmine quendam !

§. 9. Succedanea glumæ secalinæ pro Xystri fabrica curioso scrutatori regnum vegetabile offeret plura ; Aculeos huc advocare licet & hamulos ariarum cardui, lappæ &c. specierum. Caules, folia, calices, fructus, spermi, aculeati quot suppetunt ? Imo è reliquo naturæ penu, regno scil. animali & minerali, quidni alia Xystri specimina juvabit depromere ? Alligentur itaque fortassis nob. DD. opposites, ut naturam artemque feliciconnubio jungentes aliud excogitent inveniantque Xystrum ophthalmicum, omnibus numeris absolutum. Veteribus, ad attenuandum & attendendum trachoma, leucoma callumque duriorum, in usu fuisse folia ficus, umicem, testam sepiæ, asperam certorum piscium marinorum cutem &c. è Galeno & Ægineta patet.

Specialem adhuc attentionem meretur Equisetum majus, depile, nudum à Fuchio vocatum, caules habens geniculatos, scabros, qui per microscopium observantur constare multiplici serie perpendiculari, s. plurimis

rimis quasi columellis, quæ plurimis conferto agmine denticulis cuspidibusque, oblique sursum inclinatis exasperantur cum intermediis interquamvis columellam sulcis perpendicularibus. Caules hi artificibus inserviunt ad ferrum, lignum &c. polienda, venales sub nomine *Schachtelhelm* vel *Schafftheu*. Alteram equiseti speciem pilosam culinis inservire nostris & hinc abs Fuchsio aa) vocari *Randten-Kraut*, quasi herbam cantharorum, purgandorum, notissimum est. Qua ratione hinc equisetum in genere sit abstersivum, adstringens traumaticum, præsertim in pulverem contritum vulneribusque inspersum ex Fuchsii &c. commendatione, illis ex indigitata particularum figura deducendum relinquimus quibus aliàs medicamentorum particulæ hamatæ, scopales, cuspidatæ & reliquæ explicationes ejusmodi placent. Caulem modo majoris istius equiseti huc traho, quo nimirum in trachomate, scirrho, ectropio aliisque morbis, ubi superficiem callosam durioribus aggredi, arrodere & quasi limare decet, felicius forsitan utaris, ac nostro Xystro, quod venimis laceraret, vel uncis suis sub operatione infixum longiorem necesse moram & dolorem ægro causaret exquisitiorem in parte affecta valde callosa.

§. 10. Ex his autem facile perspiciet ben. Lector, *Xystrum VVoolhusianum* omnibus reliquis hæctenus allatis palmam præripere; hujus enim siue parabilitatem spectes, s. pretii vilitatem, s. tenendi commodum, adhibiti securitatem, undiquaque sese commendabit. Exigua ejusdem molles hucusque etiam egregie favit VVoolhusianis affeclis ad occultandum sub digitis commodè hoc instrumentum, eidem adhuc fini apud formidulosas patientes vel aliam ob rationem, utiliter inservitura. Nullus autem huic metus est ab hæmorrhagia periculosa vel lethali, quam tamen subtilibus licet lanceolis, nec adeo profunde adactis, in cucurbitularum cum scarificatione impositione profectam subinde narrant historiæ. bb) Mirum pariter est, à dentibus s. cuspidibus non valde acutis vel scindentibus, sed acuminatis saltem & rigidis cc) quos hirudo s. sanguisuga abscondit in ore suo triangulari, & ope horum parti, cui adplicatur sugendæ, vulnus infligit triangulare non adeo profundum, tantum concitat affluxum, ut per plures non modo horas, sed etiam dies pertinaciter sua sanguis

aa) Herbar. german. in fol. c. 21.

bb) Rhod. Obs. 69. c. 6. it. E. N. C. Cent. IX, p. 13. it. Langius epist. 40. L. p. 175.

cc) Cuspides illæ s. aculei male negantur à Franc. Poupart, Journ. des Scav. 169 Edit. amst. Tom. 25. p. 537. recte v, asseruntur & pinguntur ab Joh. Jac. Dillen E. N. C. Cent. 8. Obs. 57, p. 338.

sanguis, nec ischæmis linteisque impositis facile sisti queat, licet nulla conspicua vasa videantur læsa, testante solertiss. mox laudato *Dilenio*; Sed nec tale quid, sub frequenti & asperiore etiam subinde *Woolhusiani Xystri* usu hætenus evenisse constat, nec facile eventurum puto. Timidas & delicatulas plures jam personas hoc aggressus sum *Xystro*, aliquas etiam teneriores sub operatione in lipothymiam lapsas, sed nondum mihi accidit, quod *J. Valens* dd) de timidis observavit: quod scilicet scarificatio interdum sanguinem non educat. Pariter, cum vegetabile hoc *Xystrum* unicæ operationi adhibitum suo officio plerumque sit defunctum & abjici debeat, (: exceptis paucis casibus, ubi *Xystrum* hoc emollitum quasi & è prægressa operatione paulisper detritum præfertur, quam tamen emollitionem quoque præstaret brevis maceratio *Xystri* recentis in aqua tepida) molestiam hanc toties repetendæ compositionis eximia hac compensat securitate, ut sic propagandi contagii in malignis & contagiosis oculorum affectibus non evadere possit vehiculum, sicuti scalpella, lancettas ab ægro inquinatas & non satis deterfas sollicitè, fontica, aliis sanis posthæc adhibitas, mala novimus intulisse ee).

CAP. III.

Operationis nomen, subjectum, indicantia, analogia, modus, cautela, usus.

§. II.

Sicuti vocavimus instrumentum, ab effectu, *Xystrum ophthalmicum* (§. 7.) ita ipsam operationem adpellabimus *Ophthalmoxysin*, s. oculorum rasionem. Cur autem illas non retinuerim denominationes, sub quibus jam innotuit, scil. venæsectionis oculariæ, l. scarificationis oculi, vel blepharoxysis, mox patebit? Ab ipso *Woolhusio* vocatur passim le degourdissement ou desgonflement & scarification du globe de l'oeil; ff) tem specifica oculi scarificatio. Abs Cl D. Hampe l. c. atque ab aliis pariter

dd) Method Medend. p. 90.

ee) Crato in Epist. 139. p. 243. meminit Scalpelli impuri, in scarificatione communi periculose inficientis. Apud nos in oppido Canstatt ante 20. annos venam secuit Chirurgus ægro, lue Venerea contaminato, eademque lancetta pluribus aliis venas aperiens scædam pariter insinuavit siphylidem, de cujus arthriticis reliquiis nuperrime adhuc me consuluit mulier Canstadiensis, licet curam postea superârit salivatoriam.

ff) Le Cers, Diff, Crit. dans la specificat. des 40. operat. oculaires de Mr. de Woolh. §. 8.

riter scarificatio vocatur ocularis. gg) Non pudet me scarificationis tituli, qui chirurgorum turbam in Germania dirimit in classem sic dictorum purorum & impurorum, inter quos plerumque non melius ideo convenit, quam inter canes atque feles. hh) Sed cum scarificatio plurimum differat ab hac operatione & instrumento & modo, subjectoque ordinario, præstare videtur nomen $\xi\upsilon\sigma\iota\varsigma$ τῆ ὀφθαλμοϋξυς, s. ophthalmoxys Hippocraticum retinere.

Subiectum s. partes oculi, quæ huic operationi subjiciuntur, non palpebrarum modo interiora constituunt, (uti vult Cl. Hampe.) sed ipsius quoque oculi *tunica conjunctiva* atque *cornea*, it. *glandula* & *caruncula lacrymales*, in certis casibus. Ut plurimum tamen palpebræ tantum hanc experiuntur operationem. Partibus hisce nunc anatomice & physiologicè expendendis supersedeo, cum id toties & novissime sit actum ab aliis, & quæ forsitan de proprio possemus adspargere, nos hic longius justo abriperent. Plura forsitan adferentur ad hanc rem facientia in orat. mea inaugurali propediem habenda de *Minutiis anatomicis, magnis in praxi momentis*. Subiectum hoc varie p. n. afficitur, sicque fit *indicans* nostræ operationis. Ita *tunica conjunctiva* s. ipsum album oculi xystro subjicitur ophthalmico, cum ulcere obsidetur exiguo, *Psyracium* dicto, cujus fibræ vasculave mox mox divellendæ sunt per ophthalmoxysin, antequam suppuretur: It. in *panno*, l. panniculo, ut ipsi nutritio intercipiatur & incrementum inhibeat, vel post operationem panni relictae, uti facile fit, aliquot fibræ penitus discerpantur & deleantur: it. in *chemosi*, ubi vascula sanguinea valde turgent & supra corneam eminent; porro in *phlycten* seu bullis ardentibus, quæ *corneam* æque ac *conjunctivam* obsidentes & serum acre rosivum continentes mox aperientur sunt acu quadam ophthalmica, l. lanceola, dehinc xystro nostro radendæ & decocto traumatico fovendæ. Magis adhuc tunica cornea requirit Ophthalmoxysin, juxta Cel. Woolhusium, in *venositate*, ubi vasa sanguinea, nova quasi, corneæ inducuntur atque turgent, quod alias etiam sæpe accidit in chemosi, & panniculo carneo, vasculoso, qui corneam subinde profundius penetrant, ut ex pellucida plus minus rubescat, opacetur, vid. sæpe cit. in E. N. C. locus. Palpebrarum itaque, superioris & inferioris, internæ superficies ordinarius sunt Ophthalmoxysin subiectum, idque non modo in domesticis palpebrarum

gg) E. N. C. append. ad Cent. V. & VI. p. 134. §. 5. & p. 136. §. 9.

hh) Hanc litteram false perstrinxit Joh. Casp. Schwarz in der neuesten Darstellung der Wader und Barbierer. Greub. 1712.

rum morbis, ut in *ectropio*, *mitosi*, *trachomate* &c. sed in pluribus quoque aliis oculi in- & externis affectibus. *Caruncula lacr.* in encanthis seu relaxatione & intumescencia ii) in *peribrosi* seu pruritu & exulceratione &c. *Glandula* vero *lacr.* in prolapsu & anastomosi seu hiatu, apertione & laxitate p. n. ductuum suorum hydroblepharicorum leniori quandoque corriguntur & roborantur ophthalmoxysi.

§. 12. *Analogæ Operationes*, quæ cum Ophthalmoxysi vel confunduntur, vel ejusdem usum illustrent, & aliquo modo similes sunt, huc redeunt: *Blepharoxysis*, suffricatio, lævigatio, interpunctio & depuratio palpebralis (Synonyma sunt Woolhusio.) instituitur in omni ulcerationis specie glandularum lacrymalium & ciliarium, in trachomate, ectropio, cæterisque palpebrarum & tarforum affectibus inveteratis & rebellibus, qui communiter nulli remedio cedunt kk) Proprie tamen restricta est ad duriores asperitates & varias palpebrarum callositates, quas jubet Woolhusius primum incidere & interpolare pluribus vulnusculis superficialibus, per interstitia separatis, & apice saltem lanceolæ ordinariæ suspenso manu velociter infligendis, Gallis dechiqueter, ut locus dehinc fiat duriori xystro ferreo, superius allegato & refutato. (§. 5.) *Apotripsis corneæ* est averfio, erosio macularum albidarum, l. condensatarum & corrugatarum corneæ pellicularum & reseratio obstructorum ejusdem vasorum crystallinorum, procurata vel ope medicamentorum, superius ex parte indicatorum, vel rasionis & abrasionis superioris pelliculæ & crustæ, quæ in cornea eminet, mediante scalpello exiguo, quod invenit Const. Africanus, scalprum vocans ophthalmicum seu xystrum, & feliciter hanc apotripsin primus forte celebravit. *Phlebophthalmotomia*, venæsectio ocularia non facile dignoscitur in Scriptis Woolhusianis, typo impressis, ab ophthalmoxysi, de qua in præsens agitur, imo confunditur adeo, ut prædicata, quæ tribuuntur scarificationi oculariæ (seu ophthalmoxysi:) & phlebophthalmotomiæ tanquam utrique narrentur communia, & re ipsa tamen sint contraria & incompatibilia e. g. in Diar. Erud. Paris. 1696. d. 12. Novembr. venæsectio ocularia laudatur

C

ii) Scarificat vero & attenuat abraditque ipsam ita auctam productamque Woolhusius xystri sui subtilis acunculis, posteaque collyrio adstringenti deterfivo & desiccativo pristinam fibræ tensionem restituit. Sunt ipsa Woolhusii verba l. c. E. N. C. p. 136.

kk) in E. N. C. & Catal. Operat. Woolhusian. Dissert. Crit. DD. le Cens. In hoc Catalogo peculiarem efficit operationem è lævigatione palpebrarum callosarum, quam tamen in E. N. C. unam eandemque deprædicat cum blepharoxysi. Sed cavendum hæc, ne entia præter necessitatem multiplicentur!

datur, quæ perfici possit cum æque exiguo dolore, ac periculo, opæ parvulæ lanceolæ, quam phlebotomen oculariam nominat, inque E. N. C. l. sæpe cit. p. 133. ad eundem modum & inventionem provocat, quibus revera phlebophthalmotomia peragitur. Jam vero mire dissonant verba in Diff. Crit. Woolh. cit. p. 350. ubi iterum scarificationem & phlebotomiam oculi pro Synonymis affert, & ceu operationem ab Hipp. in libello de visu obscure indicatam allegat, cujus vero illustrationem & inventionem in supra citat. Diar. Erud. Paris. & catalogo suorum instrumentorum prius impressio, notam fecerit. Atqui in ophthalmoxysi, seu quam vocat Woolhusius, scarificatione oculi, instrumentum est vegetabile, è glumis aristarum secalinis & dolor ægro inter operandum exquisitus, in phlebotomia vero oculi adhibetur lanceola, minerale & ferreum instrumentum, quæ nullum, l. exiguum ægro dolorem causat, ut cætera taceam, quibus discrepant.

Inventionem hujus Phlebotomiæ suam quanti æstimet Cel. Woolhusius, inde satis patet, quod inæstimabili illi comparet ll) secreto Hovii, quo cataractas sine operatione prætendit curare, mm) hætenus autem, quod sciam, paucissimis probavit exemplis. Inventum hoc Phlebotomiæ oculariæ primum publico annunciavit Woolhusius in catalogo suorum instrumentorum, quem Parisiis Anno 1696. imprimi curavit in 8vo, cujus extractum exhibet Diar. Erud. Paris. edit. Amstel. Tom. 24 Anno 1696. die 12. Novembr. p. 681. ad hoc inventum se refert Woolhusius in E. N. C. loc. cit. p. 133. & Magistro Antonio exprobrat ejusdem ignorance, in Ephemeridibus Gallorum tamen dudum memorati. Hanc vero phlebotomiæ oculariæ vel inventionem, vel descriptionem certe, jam ante plus quam centum annos propalatam fuisse abs famigeratiss. Fel. Platero nn) Cl. Woolhusius ægre non feret, ut moneam, utpote, qui facit exceptionem ab illa doctiss. Schelhammeri regula vel observatione oo.) Instituitur hæc phlebotome in panniculo vasculoso

ll) Diff. Scav. & Crit. p. 311.

mm) Hovius de circ. hum. motu in ocul. p. 122.

nn) Prax. Med. L. 1. Tit. de visus læs. 8. Basil. 1609. p. 280. Panniculo l. tollendo, l. post exsectionem repullulatur, venarum tunicæ adnatæ incisionem suadet opponendam, impositis postea siccantibus; item sæpe secando illas venas, ut sanguis profluat, panniculum l. præcaveri, ne formetur, l. factum marcescere afferit. Eodem provocat M. A. Severinus, de Effic. Med. Fft. 1646. p. 55. C. 10 de phlebotome venular. oculi tunicarum.

oo) Additament. ad Introd. in Med. Helmstad. 1687. p. 255. In Anglis plerisque omnibus desiderat, quod spernant monumenta antiquitatis, & alto supercilio

lofo, Sebel Arabum dicto, ubi plexus vasculosus, ruber ex angulo oculi interno ut plurimum ortus, toti denique implicatur conjunctivæ, exumescit, tensiones, lancinationes dolorificas, lacrymationem, & visum reddit obscurum; vel in *Sevola Constantini Africani*, cum vas sanguineum prætumidum majora indies sumit incrementa, & pruritum ubinde provocat molestissimum & lacrymationem, nec minus visum corneamque obfuscet.

Operationem tum præcedunt variæ præparations per vesicatoria, V. S. arteriotomiam temporum, setacea, fomentationes &c. scopo & evacuandi & revellendi, deinde elevatum parumper vasculum ope acus curvæ, planæ, non scindentis, forfice dissecatur vel lanceola; Si plura turgeant, rescinduntur vel simul & semel, vel repetitis vicibus pro ratione circumstantiarum, & sanguis, qui hinc emanat, fluere non cohibetur, sponte cessaturus. Si vascula hæc sanguinea contorqueantur in varicosos nodos, hi ipsi cauterio actuali exiguo inurendi sunt, ut vis ignis in ipsam penetraret scleroticam, non tamen perforet eandem, nisi in casu *Phacosis*, quæ tumor est niger, lenti similis, ubi sclerotica exulcerata transparet & protuberat per adnatam. Ibi sanguis coagulatus, dissectione plenaria scleroticæ, penitus educi debet. Hujus phlebotomiæ oculariæ, s. dissectionis vasculorum sanguineorum speciem, aliquibus usualet allegat quoque Dn. de St. Yves, pp) Ad phlebotomiam oculariam adhuc referunt illam venæ angularis, in angulo nempe oculi interno, sectionem tantopere commendatam ad plurimos capitis, oculorum & faciei morbos ab agmine Medicorum veterum atque recentiorum, qq)

§. 13. Hujus Ophthalmoxysii usum porro illustrat communis illa & κατ' ἐξοχὴν sic dicta *scarificatio*, quam & Chirurghi, sic dicti puri (§. 10.) ope scalpelli rasorii vel alius exercent in partibus oedematosis, gangrænosis, sphacelatis, & balneatores celebrant in tantum non omnibus corporis regionibus externis, scopo derivandi atque revellendi, idque mediante vel lanceola elastica, tanta celeritate & artificio, ut miratus olim sit Cel. Dionis rr) vel capsula illa scarificatoria, cujus aliquam suppeditavit ideam *Ægineta* ss) amplificavit *Paræus*, tt) perfecerunt recentio-

C 2

priusquam evolvant, contemnant, partim præjudiciis seducti, partim ex αὐταρχία quadam, nisi tamen forsan dissimulent.

pp) Trait. des malad. des yeux p. 195.

qq) M. A. Severinus in efficac. Medicin. p. 55.

rr) Cours d'operat. de Chir. Paris. 1714. p. 718.

ss) Encheirid. tot. med. p. 460. quidam ut uno ictu tres plagas injicerent, instrumentum excogitarunt, tribus scalpellis æqualibus simul junctis,

tt) Chirurg. I. XI. C.

centiores, ut laudabile doloris atque laboris nunc præstet in scarificatione compendium. Hujusmodi scarificationibus aggrediuntur Galli & Angli quoque *amygdalas* prætumidas, inflammatas, scirrhosas, Ægypti vero *gingivas*, *nares*. Harum scarificatio, Ægyptiis tantopere laudatur in febribus malignis, ex haud una ratione meretur commendari & nostratibus. *Applicationem hirudinum*, *suctionem vulnerum*, crebras sic doctorum *Aleptarum*, seu unctorum, *frictiones*, *acupuncturam Chinesum* multum habere, quo convenient cum ophthalmoxysi, ejusque usum illustrent, facile dispalescet, si conferantur invicem.

§. 14. *Modus operandi in Ophthalmoxysi* ut clare & distincte pateat enarrabo, quæ operationem præcedere, constituere & consequi debeant. Præcedit vero ut plurimum consuetarum revulsionum & derivationum una alterave, per lenes purgationes, per venæsectiones, in pedibus maxime & jugulo, per cucurbitularum, cum vel sine scarificatione usum, per setacea auricularum & nuchæ, per hirudinum applicationes in partibus ab oculo remotis scopo revellendi, in propinquis derivandi in duriore trachomatis & ectropii specie præmittuntur aliquot incisiones seu scarificationes, lanceola factæ, vel puncturæ & attritiones per *blepharoxyston* Æginetæ ferreum, dehinc succedit mitius nostrum vegetabile ophthalmoxyston, Epithemata, Cataplasmata, fœtus, collyria varia pariter subinde sunt prælibanda.

Ipsa operatio perficitur hunc in modum: Ægro l. in sella sedenti, l. quod præstat, supino jacenti in lecto, capite declivi, manus caputque tenentur ab adstantibus, si opus videatur; lumen l. solis l. candelæ modicum & à latere affecti oculi admittitur, palpebras ægri radendas claudit operator & arcte adducit invicem, seu ipsum ægrum claudere jubet, dehinc alterius manus indicem palpebræ superiori, & pollicem palpebræ inferiori admovet, easque leniter deprimat, ut tarsi cum maxima palpebrarum interna parte vertantur extrorsum & ectropium quasi artificiale constituent. In hoc situ detentam superficiem internam palpebrarum utramque Xystro suo, quod alterius manus pollice & indice tenet, ab angulo externo versus internum quaquaversum radit, vel ordinarie superne deorsum perpendiculariter quasi (ne glandulæ ceracæ Meibomii divellantur) plurimis incisionibus, puncturis, lacerationibus simul vulnerat, interpolat, & pro rei exigentia l. levius, l. profundius adigit illos denticulos glumæ uncatos s. ferratos adversim, sive contra spicula sua inclinata, sicque eo efficacius inflicta. *Terminum operationis* raro illum ab Hipp. (§. 1.) præceptum assequi licet, ob delicatulos nostri sæculi ægrotos, qui dolores ab operatione provenientes diu ferre recusant, & vel unius Xystri aciculas unica vice

vice obtundi & obteri vix patiuntur. Duplicem vero ista Hipp. verba sensum admittunt, cum satis deraſæ palpebræ hoc signum conſtituunt: *ſi non amplius ſincerus ſanguis, ſed ſanies cruenta l. aquoſa effluxerit.* Scilicet num hoc criterium intellexerit de quantitate operationis continua l. diſcreta, obſcurum eſt? i. e. anne operationem una vice eouſque continuari, donec ſanies modo cruenta effluat? num vero per intervalla repeti vo-uerit, donec non amplius ſanguis ſincerus, ſed cruenta l. aquoſa denique ſanies promanet. Terminum vero, hoc illove ſenſu acceptum, optime figit effectus ſperati obtentio, cum partes inflatæ ſubſident, inſarctæ deplentur, duræ molleſcunt, ſicque temperies, conformatio, color uſus &c. partium ad naturalem redeant ſtatum. Aliquando bis uno die perficienda eſt, ſi urgeat dolor, l. vaſorum turgelcentia, l. inflammatio, ut in variis caſibus ophthalmiæ, panni vaſculoſi & inflammatorii, hemofiſis &c. Ordinarie ſemel quotidie mane vel veſperi, aut alternis diebus, aut adhuc rarius, in affectibus inveteratis, rebellibus raro plus quam decies vel quindecies adhiberi ſolet, *intra minutum fere ſemper abluta.* Effectus operationis ita peractæ ſenſibilis hic eſt, ut grumuli ſanguinis fibroſi, coccinei, inſtar arterioſi, promanent, dehinc ſerum ichthioſum, l. gelatinofum, uti in ſcarificationis ſine aliâs accidit, exſudat per limidium fere quadrantem horæ. Huic fluxui promovendo, ſanguinique ſtagnanti per reſerata jam oſcula expellendo favent liquida tepidaque medicamenta, quibus immiſceri voluit Hipp. (§. 1.) loc. cit. flores æris abſterſivos, ope ſpongiolæ, l. linteoli detriti, per horæ quadrantem, & ulterius, continuo ita adplicanda, ut oculus bene foveatur, eluatur, abſteratur, roboretur. Cel. Woolhuſio mihiſque, ex veterum commendatione, fere ſolum herbæ hyſſopi exſiccatae inſuſum in aqua fervida, & tepide applicitum, pro hoc ſcopo ſufficit.

§. 15. Mutantur autem huius fomenti ſ. epithematis ingredientia vel ſtatim ab operatione, l. aliquandiu poſt, pro morbi ratione. Nimirum *ſpiſſus, ſtagnans ſanguis* ſit diluendus, ſeligantur reſolventia è fl. ſamb. lavend. Hb. Hyſſop. chæref. ſem. fœnic. rad. valer. croco, camphora; cum *ſanguis & lymphæ acriores* temperari debeant, prioribus adde mucilaginoſa, rad. ſymph. Sem. lin. pſyll. Gum. arab. Hb. melil. verbaſc. *Ulcerofam diatheſin* extergent lenia ſiccantia, abſterſiva e. g. ſummitates hyperici hb. agrimon. Sacch. canar. myrrha, in aqua calc. viv. leniter ebulliente, l. ſolutio lap. medicamentofi Crollii in aqu. plantag. l. flores æris in infuſo calido. *Atoniæ ſolidarum partium* obviam ibunt infuſa & decocta tonica adſtringentia è fl. roſ. r. hb. plantag. rad. ſymph. biſtort. Olib. myrrha in aqua ferrarior. & vino rubro ana leviter decoctis, & ſic porro.

Balsami quoque ophthalmici, s. alius collyrii liquidi solventis l. lenientis, l. detergentis, oculis instillati tepide, usus, noctu maxime ante cubitum, imposito desuper quadruplici linteo suffumigato, calido, sæpe cum prioribus jungendus est medicamentis. Horum apozematum calidorum halitus s. fatus ad oculum dirigitur à quibusdam ope infundibuli, cujus basis subditum excipit vaporem & dimittit per foramen superius, quod est angustius, ad oculum vel apertum, l. palpebris clausum. Hunc in modum usurpari solent aquæ minerales nostræ sulphuræ ad varios oculorum affectus, cui tamen methodo prætuli hætenus fomentationes supra laudatas, ope mollioris spongiolæ l. linteoli sic applicitas, ut ab initio quasi continuo videaris oculum abluere & extergere palpebrarum interiora, dein vero epithema, leviter expressum palpebris impositum & sicca compressa obtectum aliquandiu relinquant, donec refrigerescere cœperit. Huic tramiti intra bihorium vel centies insistere jubeo ægrum, & aliquot postea horis indefessum priorem repetere laborem.

Quo studiosius æger sibi cavet post operationem ab aere frigido, & valde luminoso per aliquot dies, eo melius suo consulat oculo. Hinc vel in loco versetur obscuro, vel umbellam è charta pergamena viridi, vel alia re, supra oculos suspensam gestet, & à lectione, scriptione abstinere. Pariter quæ oculis noxia & in vulgus innotuere, vitentur, in quibus l. inflammatio suspecta, l. dolor gravior, l. affluxus largior, diæta tenuis servanda est & temperans, carnes, vinumque proscribendæ. Quando corneam, l. carunculam lacrymalem ophthalmoxysi oportet subicere, speculo opus erit oculari commodo, quale correctum illud Woolhusianum est, quo palpebræ servantur diductæ & ipse globus oculi detineatur stabilis inter operandum, in reliquis vero rationis oculariæ subjectis speculum oculi potius impedimento foret, quam usui. Si tamen vel ob renisus ægri, vel palpebrarum, superioris maxime, quæ semper difficilius tantum evertitur, quantum opus est, crassitiem, tumorem &c, non liceat partes operationi subjiciendas satis detegere, quidnam arripiatur *consilium* celebris olim in Anglia ophthalmiatri, *Turberville* quod exsecutus ipse est, teste Woolhusio, ad palpebras pro lubitu & sine tot manuum impedimentis diducendas in operatione ungulæ s. panni quod huc redit: adaptavit iste duo frustula lintei novi, limbo suo (Gallicis *lisiere*, German. *Selbende*) instructi, eaque glutine scriniariorum liquefacto obducta, oris atque tarsis palpebrarum, aliquot ante operationem horis ita adglutinavit, ut pars lintei exigua sub ipsa palpebra affigeretur, sicque postea, attractis illis laciniis inter operandum, palpebræ sine negotio verterentur extrorsum.

§. 16. Plures circa hanc delicatam operationem *cautela* obveniunt *actica*, quam aliquibus videri posset, qui vel subtilissimam & intricatam oculi structuram nesciunt, vel non perpendunt, operatorem in minima parte occupatum, totum requiri, sicut de natura *Plinius* asseruit: Illam usquam magis quam in minimis totam esse. Primum igitur huc spectat generalis cautio, quo chirurgus suæ prospicit conscientiae & famæ. *Nec temere, nec timide!* Eo non mox provolandum & ægri sanguis proterve iendus est, nisi necessitas urgeat, vel alia jam spem fefellerint. Moneatur grum, seque hoc *prognostico* muniat medicus, operationem, non sine dolore, sed brevi, peragendam sanguinis visceri stagnantis evacuatione excretis grumulis stipari. Ab unica operatione non semper desideratus continetur mox eventus, nec semper & infallibiliter à pluribus; successu men temporis, ubi ab omni medicatione destitit æger, uti alias per hyperergiam, cum votis respondisse observavi plus semel. Accidit aliquando, ut vitio l. operatoris, negligenter glumas instrumenti colligantis, rudiores sub operatione impetum exercentis, l. aristarum nimis siccam & fragilium, spiculum remaneat in oculo, quod, ceu *spina infixa*, mox turbas daret, morbo priori subinde majores, nisi æque cito ac facile extrahi l. spongiola posset abstergi. *Glandulae ciliares* illæ, *sebaceae Meibomii* dictæ, in palpebrarum racione per Xystrum vegetabile citra nimium tanguntur ordinario, ne tamen perpendiculariter & undulatim rasione transversali nimis profunda lædas & exulceres, cave; multo magis in illa palpebrarum interna intumescencia, vasorum sanguineorum turgescencia & igneo tarso *rubore*, quæ *Pachyten Galeni* constituent, cum nostra ophthalmoxysi caute mercandum erit, paulo superius palpebris instituenda, ne textura harum glandularum pessundet.

In carunculæ atque glandulæ lacrymalium affectibus, post allegantes, summa diligentia & suspensa manu id agendum est, ne vel prolapsæ partes ulterius sedibus suis dimotæ lacerentur, l. ductus aquosi dirumuntur, l. puncta lacrymalia exulcerentur, coalescant. *Pellucidam corneam tunicam* si profundius laceres excoriesve imprudenter, relinquetur matris l. macula albida, indelebilis præsertim apud adultos, quæ visum posthæc eo magis intercepta, quo vel latior & profundior, vel pullæ magis erit obversa. In casu frequentis & profundæ racionis, vel ulceratæ simul internæ palpebrarum superficiei, posset denique bulbus oculi cum palpebris concreescere, & è levi gravior morbus, scil. *symphysis* & *proptosis* nasci. Hinc juxta *Fel. Plateri* consilium uu) frequenter movendus est

oculus, l. exigui 69. lapilli, l. lœvia succini frustilla, l. semina hormir
 intra palpebras insinuantur, concretionem impediencia. His bene ob
 servatis ophthalmoxysin feliciter semper administratam nec ullo mal
 symptomate vidi exceptam. Unicum mihi suppetit exemplum in puell
 cui non tam operatio hæc innocentissima, quam ineptissimum licentio
 viventis regimen pessime cessit. Nimirum hypopyo laborans bis jam f
 stinuerat hanc operationem, non sine spe felicitis successus, sed epithem
 tibus calidis humidisque obiectum oculum adeo incaute aëri exposuit
 bero, frigidiusculo, ut semel è fenestra prospicientem, altera vice in c
 lina versantem ipse deprehenderim. Hinc quid mirum, quod expan
 & aucta oculi interna suppuratione globus denique crepuerit & de vi
 fuerit actum?

§. 17. Succinctam hanc operationis descriptionem excipiat affectuum
 quibus convenit, in classes distributio, ut non tam omnes specie
 quam genera in conspectum prodeant. Istis enim tot jam refe
 sunt libri, neque falcem licet hic immittere in amplissimam istam messor
 sed sufficit normam exhibuisse, qua omnes oculorum, aliarumque pa
 tium affectus metiri queat ben. lector, in quantum huc spectent? La
 dabilem itaque, imo unicam quandoque præstat ophthalmoxysis ope
 in ocul. affectibus, quatenus

(α) Sanguinem & lympham, quantitate, motu, orgasmo, stasi, ext
 vasatione laborantem corrigit, in *taraxi*, *ophthalmia*, *hyposphagma*
chemosi, *varicibus*, *venositate cornea*, *contusionibus*, *gangrena*, *anthra*
emphysemate, *encanthide*; *stagnatione humorum oculi*, quæ obscurum
 nebulosum reddit visum; Hoc intuitu sæpe perutilis & necessaria
 post alias operationes ocularias, quibus supervenit pertinax subinde
 periculosa inflammatio e. g. post operationem hypopyi, fistulæ lacrym
 lis, cataractæ, ungulæ sebaceæ, quæ omnes quandoque infelicissi
 post se trahunt symptomata, nisi occurras hac ophthalmoxysi.

(β) Vitalem laticem advocat, allicit, vasis, quæ adstricta fuerant, re
 ratis, in *scleriasi* s. lippitudine arida, *ophthalmia tabida*, *atrophia oc*

(γ) Sanguinem viscidamque lympham ab internis oculi tubulis revel
 evocat sicque obstructions internas, compressiones, tensiones min
 tollit, in aliquibus *gutta serena* speciebus, *hypopyo*, s. pure retro c
 neam, *hypohemate*, s. sanguine extravasato retro corneam. *emb*
 s. pure retro iridem, *ectasi*, s. *hyperauxesi* iridis &c. Quomodo in
 pienti medeatur cataractæ, ex mente *Hipp.* & *Severini* & juxta *H*
 nova inventa xx) hac vice paucis expedire nequeo?

(δ) 1

δ) Dolorem, à vasorum distensione nimia, l. liquidi acrioris collectione ortum aufert, vel lenit, in *ophthalmia*, in *psorosi*, s. prurigine tarforum & canthorum, &c.

ε) Ulcerosas impuritates everrit, mundificat, consolidat, quatenus infixum sulphureo-Θinum fermentum provocat, dispergit, & blandiori lymphæ, quæ partes læsas demulceat atque consolidet, viam pandit, in variis oculi exulcerationibus e. g. *argemo*, *peribrosi*, *mydesi*, *encavmate* &c.

ζ) Luxuriantem carnem divellendo delet, in pladarote & hyperfarcosi palpebrarum, callum incidendo, carminando emollit in *ectropio*, *mitrosi* & *ptilosi* tarforum.

η) Partibus relaxatis, debilibus tonum restituit, quatenus nimios humores educit, distendentes vasa p. n. vel deficientes liquores & spiritus allicit, ut sic tubuli ad naturalem redeant diametrum & tensionem, uti in *atonia*, s. anastomosi ductuum excretoriorum glandulæ lacr. in *meiosi* s. phthisi *pupilla*, it. procidentia bulbi oculi à partu difficili, ictu, vomitibus.

Multiplicem hunc usum saniori, quod spero, theoriæ suffultumudenti confirmatum iri praxi, confido, & multoties in variis oculorum æctibus mihi è voto, successisse, vere testor. Cæcis sane pluribus, in etiam regionibus. quorum aliqui ne montem Pico, naso imminenti, amplius vidissent visum restitui plenissime per hanc operationem, Ojuvante.

§. 18. Superest, ut de usu Xystri vegetabilis amplificando pauca dicam, simulque fidem meam liberem, quam olim in disp. mea inaugurat. pro licentia yy) expositam, amici cujusdam objectionibus impugnatam. Scil, ibid. mentionem feci fistulæ perinæi callosæ, variam medicamentum diu respuentis, quam vero Lutetiæ Paris. in nosocomio, athenate dicto, feliciter consolidaverim, institutis labiorum fistulæ callososcarificationibus, ope Xystri VVoolhusiani. Hanc vero historiam imignat, l. limitat minimum, Cl. Dn. auctor disert, inaug. pro Lic. de iis lithotomiæ generibus, Argent. 1724. habitæ p. 31. his verbis: Vo- t quidem nonnulli illas fistulas, sc. perinæi, scarificatorio VVoolhu- no, quo in scarificatione oculorum utitur, curare, exempla que etiam us rei, & quidem experientiæ propriæ proferunt: sed omnino creden- n esse puto, non fuisse illas fistulas jam formatas, sed partes tantum cuti-
D cula

γ) de Hernia incarcerata solerti delineatione illustrata, novaque extricata enchei- risti p. 21. Tubing. 1722, d. 7. Jan.

cula quadam obductas, ex qua deinde callus oritur: alias enim illæ subtili hoc scarificatorio nullo modo tolli potuissent. &c. Ad hæc responsurus ego omnes rationes anxius conquirere supersedeo, quibus a priori possibilitas talis curæ evincatur; sed historiam saltem curationis abs me gestæ, fideliter ephemeridibus meis exscriptam communicabo, sicque illos convincam, quod vel facti historiam vocant in dubium, vel rei feliciter gestæ, laudem sibi falso arrogare voluerunt. Nimirum:

Die 4. Aug. 1721. In Nosocomio charitatis puer 10. ann. ante tri-
mestre calculo sectus abs Dn. Gerard, (Chirurgus tum primario nosocomii)
calculus totum latus sinistrum perinæi occupans, ovi gallinacei magnitudi-
ne prominuit & catheteris in vesicam introductioni obstitit. Apparatu
dicto minore sectus æger, calculus, ovum gallinaceum magnitudine æquan-
solidus, æqualis, non valde asper levi extractus fuit opera. Ab eo tempo-
re vulnus nunquam coaluit penitus, labiis callosis induratum. Trochisci
cathæretici de Minio nuperrime iterum appliciti nihil effecerunt. Vulnus
pallet, callosum est, urina atque mucago, *des clairs*, per vulnus
& penem exeunt. Nullus dolor, nulla febris; Cetera etiam bene ha-
bet, valde tamen macilentus est. Vesica bene detergatur bis per diem
decocto hordei cum melle rosato injecto. Labia vulneris fortiter scar-
ficavi ad fundum usque, ubi insignem duritiem scarificatorio Woolh-
siano resistantem percepi, unde ab initio puer nullum sensit dolorem
adhuc semel post scarificationem injeci, vulnusque elui. Solum plu-
maceolum, decocto imbutum, vulneri imposui, compressas fasciamque
leviter adstringi jussi, cruraque per aliam fasciam popliteam, la jar-
tiere, arcte appropinquavi. Cetera, quies, paucus potus. D. 5. Aug.
vulnus optato colore rubet. Nulla interea mucago excreta. D. 6. vulnus
hesternus color, mucago jam pauca, urina per vulnus & penem. Inje-
ctam aquam calcis vivæ cum parum Spir. vin. mell. rosat. & gt. aliquot balsam-
de mecha. D. 9. & seqq. injectiones ex aqua hord. mell. rosato, parum
Spir. vin. & aqua calcis vivæ ab initio bis, dein semel in die fieri curavi
simplicemque plumaceolum vulneri imponi, at labia ejus, compressas
e latere utroque positas, adduci. Medicus, DD. Reneuame, Nitru-
m præscripserat, rogavi, ut addat succinum, in bolo. Scarificavi alte-
vice leviter. Mucaginem hætenus ut & urinam per penem in
xime reddidit. D. 18. Labia vulneris rubore florent, pars superior jam
consolidata. Scarificavi fortius. D. 19. super linteo, cui incumbit, u-
na madido, reperimus frustula calculosa. D. 21. injectiones cessavi
Plumaceolo & vulneri illinatur mel rosat. & du melange (seu ungt. o-
gest

festivi & incarnativi remixti invicem) partes fistulae vicinae foveantur
 pir. vin. calefacto. *D. 24. Aug.* parum urinae per vulnus exstillat.
 Mucaginem istam rarissime, per penem quoque reddit. Labia vulneris
 propinquuntur duobus spleniis, ex *Empl. de la croix glutinativo. D. 6.*
5 7. Septembr. ne guttula per vulnus seu fistulam promanavit, linthea
 non madida. Decubitus & quies adhuc per aliquot dies obser-
 ventur: Hinc, praemissa purgatione penitus sanatum dimissi, suadens,
 t jam per aliquod tempus ab omni nimia crurum divaricatione, peri-
 æi frictione & attritione sibi caveat studiosissime? interea modicae deam-
 ulationes in Nosocomio nihil quicquam mali intulerunt novellae cicatrici.

Ex his itaque patet, fistulam fuisse verè & profunde callosam, cujus
 tera jamdudum indurueret, ob delitescentem diu calculum in perinaeo,
 quæ varia tractationi in- & externæ ultra trimestre ipsisque cathæreticis
 mendi & tolli respuerat. Hæc autem mea methodus faciliior brevior-
 ue adhuc est illa, quam *cel. Franc. Roncallus*, *Med. Brixienf. zz)* inge-
 iose invenit & evulgavit. In casibus tamen gravioribus, ad urinam è
 ene & non è fistula dimittendam, posset simul in usum vocari syringa
 usdam vermicularis, s. catheter flexilis judiciose emendatus.

Ad alios denique usus adhuc trahi posse Xystron vegetabile, sagax
 cile perspiciet lector ulteriorque rerum magistra, experientia probabit.

DEO, omnis lucis fonti, & à quo paucæ etiam hæ scintillæ

in me promicuerunt, sit laus atque
 honos in æternum!

zz) Nova Meth. extirpandi carunculas & curandi fistulas urethræ. *Brix. 87. 1710.*

F I N I S.

Nobili & Clarissimo Dom. Respondenti

S. P. D.

P R Æ S E S.

Qui hætenus Chimia delictis ab infantia
 imbutus fuisti, & nunc etiam anatomica
 dulo adjungis studia, mysterium illud, *quis*
 opti-

optimus sit Medicus? Tuo videris aperire exemplo, *amicissime Gmelin*. Ita scil. non microcosmum modo, seu hominem, intimius rimari ejus affectiones, quæ secundum & præter naturam sunt, accurate perspicis, sicque quid, ubi, quomodo, quando juvandum sit? solide perscrutaberis; sed etiam macrocosmi thesauros recludere diligenter, inquiris solicite, & in usum practicum convertis circumspicte, hoc autem modum certissimum solidæ theoriæ & felicis olim praxæ medicæ ponis fundamentum. Neque his saltem immoraris, sed Chirurgiæ etiam & illis, quæ Medicum ornant, literis sedulam navas operam. Exercitia vero disputatoria recte immisces subinde, ut non modo laudabilia profectuum edas specimina, sed mentem quoque acuas, & ce lapide lydio, examines veritatem probesque. Hinc nemo mirabitur Te jam iterum in Cathedra publice comparentem, multo minus vituperabit, quod & Summorum Virorum objectiones solve vere audeas modeste, & profundas Eorundem Meditationes publice studeas venerari. Maacte saltem virtute Tua, *Ornatissime Gmelin*, qua ut evadas

Ἀντὶ πολλῶν ἀντάξιός ἄλλων,

est, quod Tibi, splendidæque Genti Gmelinianae imo toti apprecor rei literariæ medicæ. Ita vale remque Tuam feliciter porro gere.

Dab. Tubing. d. 3. Jul. 1726.